

Dejectumque abigat male parta sede Tyrannum :
 Alter quam late circum patet Africa tellus
 Victor aget prædas puppi sublimis in alta :
 Alter & exposito percurreret milite campos ,
 Barbariemque Austri ignotas detrudet in oras :
 Post alter Solymam , & longum violata piabit
 Sacra loca , hostili confundens omnia cæde .
 Nec deerit , Persas qui bello vincat , & Indos ,
 Qui Venetas acies extremi Orientis ad oras
 Deducat late , Seresque , & Japponas acres
 Subjiciat , palmisque , & præda dives opima ,
 Circumeat totum proris victricibus orbem .
 Huic ignes imo repetent a corde Leonis ,
 Miscentes Graja flammæ a puppe petitas .
 Ille alius libram Geniorum cœtus ad æquam
 Contendit celeri ætherium per inane volatu .
 Quam multi ad magnum procedent inde Senatum ,
 Qui placida ditione regant tot subdita regna ,
 Qui condant nova jura , atque olim condita firment ,
 Quique gerant patriæ suprema in sede locati
 Incurvum capitis cinctum diademate tegmen !
 Aspice , qua stellis ardet fulgentibus ara
 Thuricrema , & densus conscendit in æthera fumus .
 Inde sacros petitur formet quæ flamma ministros .
 Quam multi cingent auratis tempora vittis !
 Quam multi latium gestabunt fronte galerum !
 Nec pauci & triplicem per sæcula longa tiaram
 Accipient , totamque regent ex urbe Quirini
 Christiadam gentem : quin & confinia sacri
 Imperii totum longe , lateque per orbem
 Qui ferat , atque una sub religione beatos
 Qui populos primus Mundo labente gubernet ,
 Coraridum hac ipsa exsurgat de stirpe creatus .
 Ast olli & lampas Titania suggeret ignem